



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Vitæ S. Ferdinandi, Regis Castellæ Et Legionis, Ejus
Nominis Tertii**

Papebrochius, Daniel

Antverpiæ, 1684

Ode Ad S. Ferdinandum III Regem Castellæ Et Legionis ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-42333

ODE
AD S. FERDINANDUM III
REGEM CASTELLÆ ET LEGIONIS

cum vita ejus Acta & Gloria postuma

invitante & excitante Hispali

Antuerpia in lucem seorsim ab aliis ederentur.

FERNANDE Regum maxime, maxime
FERNANDE Divum, quem politici IBER
E servitute vindicatus
Barbaricâ, veneratur aris,
Tuo receptas consilio & manu
Tantisper Urbes respice; & atriis
Cæli relictis, quos beasti
Imperio, populos revife.
Omnes laborant Principis inclytum
Nomen sacratis tollere honoribus:
Omnes triumphant. Te TOLETVM,
CORDVBA te decorat trophæis.
Hosti probatæ te fidei memor
ARJONA, te non ante domabile
Maurorum asylum, te tuorum
Denique victa animis Nepotum
GRANATA donis prosequitur suis:
Illa, illa Ibero cedere contumax,
Vincenda numquam, jam GRANATA
Læta tuos cineres adorat.
Urbs nulla pareit sumptibus: æmula
Virtus clientes & studium rapit.
Inusurato templa fastu,
Compitaque, & fora vestiuntur.
Sed vincit omnes HISPALIS, HISPALIS
Prælatâ cunctis. Illa tuas amans,
FERNANDE virtutes, volensque
Per titulos memoresque fastos
Post nascituris conspicuas dari,
Elucubrandras fert Papebrochio;
Per Acta Sanctorum celebri &
Nominis Austriaci clientes
Lectæ tot inter; dum Tibi construit
Aram ipsa, multo lumine splendidam;
Tualque pugnas pingit auro,
Et solidis tua bella gemmis.
Illa armat omnes artificum manus,
Parsura nulli. Nil simile aut prior

Speo

Spectant ætas aut futūta.
 Cuncta tuæ monūmenta pompæ ;
FERNANDE , cedunt. Ne studium piæ
 Mireris urbis ; plurā tibi **HISPALIS**
 Redempta debet : plura reddet ,
 Impatiens in amore vincti
 Nec vos amicæ laudibus Hispali
 Herois urbes pœniteat meis
 Cessisse victas , **FERDINANDVM**
 Quæ studiis coluistis æquis.
 Ut vicit , omnes vicerit **HISPALIS** ,
 Auroque gemmisque atque opibus potens :
 Vicisse debebat , favore
INDIGETIS meritisque victrix.
 Illam universis prætulit urbibus ,
 Regnis relictis , & Patris & suo,
FERNANDVS : illi se suumque
 Credidit immoriens cadaver ,
 Decursa post tot sæcula vividum ;
 Et nec peresum ; nec violabile
 Parcente nulli tæbe mortis.
 Deposito pretiosiore
 Donare cives non poterat suos.
 Ditarit aras muneribus licet
 Benignus æternis , perennes
 Divitias superat cadaver ,
 Illustre centum prodigiis. Cole
 Regem fidelem suppliciter , cole
 Urbs grata : **FERNANDVS** favores
 Cultibus innumeros reponet.
FERNANDVS atram corporibus luem
 Fugabit agris : subiiciet suam
 Mors pulsa falcem **FERDINANDO** ;
 Exanimis nova vita rursus
 Subibit artus. Sed neque tristia
 Posthæc timebis prælia , nec dolos ;
 Invieta stabis. **FERDINANDVS**
 Ipse suæ vigil , ipse muros
 Defendet urbis : **PRÆSIDE** barbarus
 Quo Maurus omni pulsus Iberia ;
 Ardentis extremos recessus
 Deficiens Lybiæ petivit.

Accinebat

E. v. O. S. I.